AD

EXAMEN PUBLICUM

DIEBUS XXII—XXIIII MENSIS MARTII

A. MDCCCXXXXVII

ACTUMQUE DECLAMATORIUM

DIE XXVIIII EIUSDEM MENSIS

IN

GYMNASIO DRESDANO

QUOD EST AD AEDEM S. CRUCIS

CONCELEBRANDUM

HUMANISSIME ATQUE OBSERVANTISSIME INVITANT

RECTOR ET MAGISTRI

Praemissa est Philippi Wagneri

Commentationis de Iunio Philargyro

pars altera.

DRESDAE,

TYPIS BLOCHMANNIANIS.

Digitized by Google

Postquam superiore disputatione de ipso Philargyro explicatum est, restat, ut de condicione formaque, qualis hodie est, Commentariorum eius paucis dicamus. Ac primum quidem facile intelligitur dudumque a Fulvio Ursino intellectum est, non integros servatos esse hos Commentarios, sed tantum reliquias quasdam eorum exstare. Id statim apparebit, si quis scholia ad Bucolica et librum primum Georgicon spectantia cum iis comparaverit, quibus lib. II. III. IV. Georgicon illustrantur. Nam quae ad Bucolica pertinent, implent pag. 3—7 editionis Commelinae a. 1589, quae ad librum primum Georgicon, non plenas duas paginas, contra quae ad lib. II., paginas 9—29., quae ad lib. III., pagg. 22—37., quae ad lib. IIII., pag. 38—53.; ex Ecl. IV. VI. IX. X. singuli, ex Ecl. I. et VII. bini versiculi enarrantur. Atque ut ea res aperte declarat maximam partem scholiorum Philargyri intercidisse, ita conficitur per ea ipsa, quae servata sunt, ne haec quidem ab omni parte esse integra. Vidit id iam Broukhusius, cuius Emendationes in Philargyrum P. Burmannus exhibuit T. I. editi a se Vergilii p. LXXV. sq. Nam cum ad Ge. I, 103. ita scriptum exstet apud Philargyrum:

„*Mirantur Gargara messes*] Est et alter sensus“ *cet.*

et ad Ge. III, 128.:

„*Referat*] Non enim potest unus equus duas patrias habere“;

necesse est quaedam praemissa his verbis fuisse, quo referrentur illa *et alter* et *enim*. His exemplis a Broukhusio allatis addi possunt alia. Ecl. VIII, 77. haec leguntur:

„*Necte tribus modis*] Metrum anapaesticum in honorem Cupidinis dicitur consecratum.“

Digitized by Google

Quid sibi vult h. l. mentio metri anapaestici? Nimirum excidit nonnihil, quod quale sit, ostendet Servius ad vs. 78.:

„*Veneris, dic, vincula necto*] Anapaesticus est trimeter*) hypercatalecticus. Hoc autem metrum est Cupidini consecratum."

Ge. III, 137.:

„*Sitiens Venerem*] Quare sitiens? Solvit quaestionem. Alii dictum volunt *sitiens* libidinis plena." (Male ab omnibus editur *plenae*.)

Quomodo igitur solvitur ea quaestio? aut quis solvit? nisi forte, cum eadem verba *Solvit quaestionem* nullo nomine adiecto vs. 148. redeant, ad certum aliquem λυτικὸν nobis quidem ignotum a Philargyro relata dixeris; certe ad ipsum poetam referri non possunt. Simpliciter *Solvitur* positum Ge. III, 343. IV, 89. 115. — Porro ex ampliore scholio Ge. IV, 66. nihil restat, nisi haec:

„*Dictaeo*] Sed et hoc poeticum est."

Burmannus Ge. III, 307. omisit particulam *autem*, quamquam ea est in editione, quam expressit, Schreveliana a. 1646. Sed ne forte existimes, ut supra ex particula *enim*, sic eo loco ex part. *autem* apparere quaedam excidisse, illud tenendum est, per eam voculam interdum transitum a superiore ad novum scholion fieri, ut Ge. II, 167. III, 52. 53. 82. 93. — Aliquoties scholiis Philargyrianis subiectae sunt litterae *etc*, ut Ge. II. 266.:

„*Ante locum similem exquire*] Dicit in translatione arborum similem terram esse requirendam etc."

Ge. IV, 145.:

„*eduram*, nimium duram etc."

Ex quo quis suspicetur reliquam partem horum scholiorum, quae fuissent ampliora, omissam esse a librario. Sed mihi secus videtur. Fuit duplex, nisi fallor, genus librorum, quorum alterum solum Servium contineret, alterum Philargyrianis scholiis interpolatum. Iam cum quis prioris generis codicem cum codice alterius contenderet, quae in hoc ad-

*) hic ne offendat nomen trimetri, cautum est a Musonio.

Digitized by Google

iecta invenisset, illius margini adlevit subiecta hac nota *etc*, qua significaretur post ea pergendum esse legenti eo loco, unde per scholion illud in margine positum avocatus esset. Argumento sunt, quae apud Philargyrum leguntur Ge. III, 305.:

„integrum erat: *hae quoque n. c. n. l. t.* Sane etc.“

Nempe ab hoc ipso *Sane* incipit scholion Servianum, ad quod iam pergere lector iubetur. In Dresdensi quidem libro ms. Philargyriana alia interposita sunt Servianis scholiis, alia ab eadem manu in marginem coniecta; quare probabile est descriptum esse ab eo, qui hunc codicem exaravit, librum non ita multa Philargyriana immixta habentem, instituta deinde comparatione cum copiosiore exemplari, quae id nova afferret, ea in margine esse appicta.

Quod autem ipsa natura atque condicio horum scholiorum loquitur, multis ea partibus truncata et decurtata esse, id nuper novis testimoniis confirmatum est a Suringaro et Muellero. Atque de subsidiis laudabili horum virorum opera in medium prolatis, ex quibus varie augeri locupletarique possunt scholia Philargyriana, iam deinceps dicendum. Sed antequam ad singula veniamus, illud admonere non fuerit supervacaneum, eiusmodi esse orationem et in veteribus illis et in his novis, ut ab uno scribi potuerint; eo autem valde inter se differre, quod illa variae nec vulgaris doctrinae plena sint, haec nova vix umbram habeant Philargyrianae eruditionis; ex quo intelligitur haec altera ex uberiore Philargyri Commentario ita esse excerpta, ut sublato elegantioris doctrinae ornamento ea fere relicta sint, quae rudi satisfaciant lectori; quamquam cave putes futurum, ut nihil, quod operae pretium sit, inde auferas.

Invenit Suringarus in bibliotheca Leidensi particulam Commentariorum Philargyri, Gaudentii Gallique. De ea re ipse ita exponit P. II. p. 269 sqq.:

„Quum singulos bibliothecae Leidensis MStos Codices Virgilii, a Geelio V. Cl. liberaliter mihi ad inspiciendum concessos perscrutarer, incidi in Codicem, quo continentur Scholia antiqua in Eclogas, Georgica et partem Aeneidos, continuo ordine absque textu scripta; qui ex

Digitized by Google

Vossiana supellectile profectus adeoque dudum inter Leidenses thesauros relatus, a nemine, quantum quidem scio, umquam usurpatus est. — — De auctore vel potius compilatore horum Scholiorum nihil certi dicere possum: cuius quippe nomen non adscriptum sit in fronte Codicis. Reperitur quidem ad finem libri I. Georgicorum haec subscriptio: *Titus Gallus de tribus Commentariis Gaudentii haec scripsit,* sed inde nolim contendere Titum Gallum haec Scholia scripsisse, quum secus esse inde appareat, quod Galli nomen aliquoties in ipso Commentario memoretur. Quin et, ne huic subscriptioni fidem habeamus, suadet altera subscriptio ad finem Ecl. X.: *Haec omnia de Commentariis Romanorum congregavi, id est Titi Galli et Gaudentii et maxime Iunilii Flagrii Mediolanensium.* Quicumque autem horum Scholiorum compilator fuerit et quantolibet pretio haec Scholia habenda esse censeantur, docemur inde, quod antea ignorabamus, Titum Gallum et Gaudentium olim Virgilii carmina interpretatos esse; tum vero etiam certo argumento confirmari videmus, quod prius tantum suspicari licebat, Philargyrii Commentarium fuisse olim longe ampliorem quam qualis hodie sit."

Sequitur iam pag. 272—349. Specimen Scholiorum ineditorum. Pertinent haec scholia ad unum librum primum Georgicon. Horum plerisque non adiiciuntur nomina auctorum, alia Iunilii sunt, quaedam Gaudentii, pauciora etiam Galli. Ex his quae Iunilio tribuuntur, ea esse Iunii Philargyri ut ipsum nomen Iunilii Flagrii probat, ita eo confirmatur, quod duobus locis nova haec scholia cum editis dudumque notis scholiis Philargyri consentiunt; unus est Ge. I, 58., ubi vetus scholion haec habet:

„*Chalybes*] Gens in Ponto, quae ferrum repperisse dicitur;" novum ex parte eadem:

„*Chalybes*] Gens in Ponto, inventrix ferri."

Alter locus est vs. 295., ubi ita Philargyrus:

„Hic versus longior est una syllaba, sed sine vitio."

Digitized by Google

Plane eadem scripta sunt apud Iunilium in scholiis Leidensibus. Praeterea unum est ex multis adespotis, quod ex Philargyrianis translatum iure suspiceris; ita enim, vitiose quidem, Philargyrus ad vs. 292.:

„*Inspicat,* findit in modum spicarum, cui multae sunt aristae;“

scholiasta Leidensis:

„*Inspicat,* acuit, findit ad species aristarum.“

Felici casu factum est, ut Muellerus e codice Bernensi scholia eundem librum Georgicon illustrantia proposuerit. Unde cognoscitur plurimis testimoniis eundem esse Iunilium, cuius scholia in utrisque Excerptis legantur. In his quoque Bernensibus scholiis servata sunt quaedam plane cum veteribus illis Philargyrianis conspirantia; nam ad Ecl. VIII, 10. haec scripsit Philargyrus:

„Asinium .. intelligit ... aut Varium, cuius exstat Thyestes tragoedia, omnibus tragicis praeferenda;“

et Iunilius apud Muellerum:

„Eiusdem autem Vari est tragoedia Thyestes, omnibus tragicis praeferenda.“

et ad eiusd. Ecl. vs. 109. haec leguntur apud Philargyrum:

„*Parcite*] Non desine dixit, quia, qui desinit, finem facit; qui parcit, suspendit id, quod agebat;“

Iunilius in cod. Bernensi:

„*Parcite*] Hic*) non dicit desine; qui enim desinit, finem facit, qui vero parcit, suspendit, quod agat;“ (verius *agebat.*)

Quae supra ad Ge. I, 58. in codice Leidensi scripta rettulimus, eadem sunt in cod. Bernensi, in quo cum auctor *Numilius* appelletur, emendandum id vitium est ex cod. Leidensi, in quo est nomen Iunilii. Item ad vs. 295. eadem, quae apud Philargyrum et in cod. Leidensi, leguntur in Bernensi libro apud Iunilium. Itaque recte statuere videmur hunc Iunilium eundem esse, quem Philargyrum.

De Tito Gallo et Gaudentio et difficile est nec vacat

*) recte *Hic*, quod refertur ad versum illum intercalarem: „Desine, ab urbe venit“ *cet.*

Digitized by Google

nunc quaerere; Gaudentii quidem nomen Christianum est, cf. Fabric. Bibl. Lat. med. et inf. aet. T. III. p. 67. sqq. Sed vide, quam diversa in scholiis Leidensibus tradantur. Extremae Ecl. X. haec adiecta sunt: „*Haec omnia de Commentariis Romanorum congregavi, id est, Titi Galli et Gaudentii et maxime Iunilii Flagrii Mediolanensium;*“ quae ita plana sunt itaque ab omni fraudis similitudine aliena videntur, ut facile tibi persuadeas esse hic, quod recte sequare; sed adversatur altera subscriptio ad finem l. I. Georg. posita: „*Titus Gallus de tribus Commentariis Gaudentii haec scripsit.*“ Probabiliter de ea re ita disputat Suringarus p. 169.:

„Si coniecturae locus concedatur, mihi quidem sic rem „se habere suspicari subit: Gaudentius, incertae aetatis „homo, scripsit Scholia in Virgilium, et quia in Eclogas, „Georgica et in Aeneidem scripsit, dici potest tres Com„mentarios scripsisse. His postea usus est Titus quidam „Gallus, Gaudentio recentior, et ita usus est, ut, quum „multa inde in suos Commentarios transferret, religioni „duxerit ad finem libri Georg. I. hanc addere subscriptio„nem: *Titus Gallus de tribus Commentariis Gaudentii „haec scripsit.* Iam et Titi Galli et Gaudentii Commen„tarios nactus deinde Anonymus quidam, ex his, sicut „et ex Philargyro, sua congregans ita ad verbum fere „Titi Galli codicem secutus est, ut ne ista quidem verba „*Titus Gallus de t. C. G. haec scripsit* omiserit. — Alii „fortasse aliter rem se habere suspicabuntur. Ego ut sic „suspicarer, fecit, quod Peerlkampius nuper in Epistola „ad Descurium p. XXIII. monuit, parum fere fidei ha„bendum esse huiusmodi, quae in Codicibus reperiuntur, „subscriptionibus, quum librariorum mos fuerit omnia, „quae in MS. legebantur, describendi, ne subscriptio„nibus quidem omissis.“

Ut autem non convenit inter priorem alteramque subscriptionem apud Suringarum, ita novam obiicit dubitationem cod. Bernensis, in quo sub finem l. I. Georg. haec leguntur:

vs. 514. „*Neque audit*] Translatio. *Titus Gallus.* De tribus commentariis *Gaudentius* haec fecit.“

Digitized by Google

Sed facile crediderim, maxime propter praenomen Gallo adiectum, quod non solet singulis scholiis subiici, haec ita legenda esse, quemadmodum in Leidensi libro scripta sunt.

Scholia Leidensia plurimis locis corrupta sunt, sed multo pluribus emendari possunt, quam visum est Suringaro, ut G. I, 58.: „*Anne novum tardis sidus te mensibus addas*] *tardis*, longis: id est si addatur sis ad XIII signum vel cum Caesar erat in caelo, hominum vita tendebitur.“ Quae vix est dubium quin ita legenda sint: „longis, i. e. si addatur Caesar XIII^{mum} signum, vel: cum Caesar abierit in caelum, hominum vita tendetur;“ et plane ita cod. G, de quo infra pluribus dicetur: „quasi futurum sit, ut (interpone *cum*) Caesar abierit in caelum, hominis vita tendatur, ut in Bucolicis *Et incipient magni procedere menses.*“ — vs. 126.: „*limite*] Limas fossas in agro, quae inutilem concipit opinionem,“ lege: „Limes fossa in agro, quae inutilem concipit colluvionem.“ — vs. 208. „*die somnique*] Antitheton: diei somnium reddidit non nocti; uen' (*Venus* schol. Bern.) enim per somnum signi quod per id tempus diei somuo opera datur“, lege: „diei somnum reddidit (i. e. respondere voluit, ut proximo vs. in iisdem scholiis), non noctem; eam enim per somnum significat, quod per id tempus somno opera datur.“ — Sed non vacat haec persequi. Hoc tamen velim teneas: magnam partem horum scholiorum etiam in cod. G exstare, ibique fere et pleniora et emendatiora legi. Praeter ea autem, quae Iunilio nominatim tribuuntur, multa sunt nomine auctoris carentia, sed ex his quaedam eidem Iunilio assignanda, id quod intelligitur ex Bernensibus scholiis, ad hunc illa referentibus; itaque G. I, 27. 163. 265. 266. 270. 303. 396., quae ἀδέσποτα sunt apud Suringarum, in Bernensi codice Iunilii nomen prae se ferunt. Praeter auctores vulgo notos laudantur in Leidensibus scholiis Nigidius I, 174. 218. 498., Cominianus I, 215., Accius I, 502., (Attium puta in Didascalicis) ex quo haec referuntur: „Juppiter Dardanum genuit, Dardanus Troum (*Troem*), Trous (*Tros*) Assaracum et Ilum et Ganymedem; Capys ex Assaraco satus, qui Pergamum construxit, Laomedon Priamum et Anchisen edidit.“

Digitized by Google

Venio ad Bernensia scholia. De his pag. 12. ita Muellerus:
„Cum ad primum et secundum librum Aeneidis nulla
„scholia adsint, ea nunc apponere volo, quae ex com-
„mentariis Iunilii Flagrii, Gaudentii, Titi Galli et Nigidii
„ad eclogas et primum georgicorum librum in hoc
„codice excerpta sunt."

Ex quibus intelligi videtur, esse praeterea etiam alia scholia in illo codice, sed Muellerum ea fere proponere voluisse, quae apposito nomine ad certum auctorem referrentur. Quod nollem ita ab optimo viro factum. Ut enim paulo ante vidimus quaedam, quae sint adespota apud Suringarum, Iunilio tribui in scholiis Bernensibus, ita probabile est, quae auctoris nomine destituta sint in hoc ipso Bernensi codice, ex parte eiusdem Iunilii esse aut aliorum veterum Grammaticorum. Multa autem, quae in illo codice ex commentariis Iunilii sive Iunii Philargyri servata sunt, leguntur etiam in codice littera G notato apud Burmannum, sed ita, ut haec Iuniliana breviora fere sint illis apud Burmannum scholiis, rursusque, quae Iunilii sunt in scholiis Leidensibus, contractiora iis, quae eidem assignantur in Bernensibus. Ex quo conficitur, quasi per gradus quosdam opulentiam Iunii Philargyri descendisse paulatim ad exilem illam tenuitatem, qualem deprehendere mihi visus sum in libro ms. Dresdensi, de quo dicetur postremo loco.

Etiam in Bernensi codice Iuniliana satis sunt male habita; atque in aliis facile se offert emendatio, in aliis non item; aut quis divinare possit Ecl. I, 63. in verbis depravatissimis *Tityrus quin iube* latere veram lectionem *Per Tigrim et Ararim vult* a Servio oblatam? Sed non est hoc nobis propositum, ut operam ludamus in corrigendis iis scriptis, ex quibus vel optime restitutis haud ita magnus fructus capiatur. Itaque, nisi forte chartae tantum spatii reliquerint, quantum requiratur ad omnia persequenda, satis habebimus ex multis pauca attingere, ea maxime, quae aliquem ad illustrandas nostras litteras utilitatem afferre videantur.

Malum omen est in limine offendere. Accidit hoc Iunilio apud Muellerum. Primum enim scholion hoc est Ecl. I, 55.:

Digitized by Google

„*Hibleis*] Hibla mons in Sicilia, vel locus in Attica, ubi mel optimum nascitur. Gaudentius dicit; sed tamen Iunilius dicit civitatem Hispaniae."

quocum compares, quae leguntur ad Ecl. VII, 37.:

„*Hible*] Hybla civitas Hispaniae, ubi thymum nascitur. Iunilius dicit, tamen Gaudentius dicit: mons in Sicilia, vel locus in Attica, ubi mel optimum."

Redigit hoc in memoriam mirificum errorem Stephani Byzantini, sub voc. *Σικελία* ita scribentis: *ἔστι καὶ ἄλλη Σικελία κατὰ τὴν Πελοπόννησον*," iure nuper a Th. Bergkio explosum in Commentation. criticar. Spec. II. p. VIII. Quis autem non intelligit, doctum hominem, qualem fuisse constat Philargyrum sive Iunilium, talia scribere non potuisse? Sed ex ipsa ratione huius scholii erit fortasse qui colligat Philargyrum h. l. egisse de montibus mellificio claris, in iisque commemorasse etiam aliquem montem Hispaniae; inde autem natos esse foedissimos istos stultorum hominum haec in breve contrahentium errores. (Quamquam, cum inepta mentio Hispaniae eidem Iunilio obtrudatur etiam in Argumento Ecl. VIII.: „Haec ecloga sive in Hispania sive in Gallia canitur," veri est similius utroque loco Philargyrum Siciliam nominasse.) Peccatum hic est etiam in Serviano scholio, ubi haec leguntur:

„Hybla vel Hyble oppidum est Siciliae, quae postea Megara: (*ms. Dresd.:* quod nunc Megara dicitur) vel locus in Attica."

quod recte videtur ita emendare Barthius: „ut Hymettus in Attica."

Ecl. V, 7. Servius: „*Lyctius* a Lyctio, urbe Cretae." Admonuit iam Burmannus legendum esse *a Lycto*, quod ut res ipsa comprobat, ita Iunilius ceteroquin vitiosus; legitur enim apud hunc *a Licta*.

Ecl. V, 11.: „Alcon, peritissimus sagittariorum, iter agens „puerum aspexit a serpente circumflexum (lege *circum-* „*plexum*) et direxit sagittam pueroque intacto serpen- „tem occidit."

Puerum parum accurate; recte Servius filium; quare, nisi, qui haec contraxisse videtur ex ampliore scholio Iunilii, vix

Digitized by Google

ullam speciem accuratioris doctrinae relinquere voluit, pro *puerum* legendum putaverim *Phalerum*; id enim erat nomen ei puero, vid. Valer. Fl. I, 398. sqq. Sed Apollon. Rhod. I, 96. sq. et Hyginus Fab. XV., quibuscum conf. Pausan. I, 1, 4., hunc Phalerum Atheniensem esse volunt, unde etiam patrem eius Alconem, ab Apollonio et Hygino ita commemoratum, ut nihil de origine eius Cretensi referatur, Atheniensem fuisse putabimus, id quod diserte testatur Scholiastes Apollonii l. l., qui Alconem patre Erechtheo natum esse scribit, etsi Servius Cretensem fuisse ait. Quod unde Servius habeat, non invenio. Apud Orpheum quidem, quem miror praetermissum esse a Paul. Leopardo Emendatt. l. VI, c. 6. indicem exhibente eorum scriptorum, qui Alconis meminerunt, haec leguntur vs. 145. sq.:

Ἄλκωνος δὲ Φάληρος ἀπ' Αἰσήποιο ῥοάων
ἦλυθεν, ὃς Γύρτωνος ἀλιζεφὲς ἔκτισεν ἄστυ.

Quod si verum est, id quod tradunt alii, Gyrtonem urbem a Gyrtone, non a Phalero, esse conditam, facile adducaris, ut personatum Orpheum *Γύρτινος* scripsisse credas, et hunc saltem aliquo modo conspirare cum Serviano scholio. Sed obstat adiectum *ἀλιζεφές*; et sunt, qui duos fuisse Alconas statuant, alterum Atheniensem, alterum Cretensem. Vid. omnino de Alcone et Phalero quos laudat Jacobs. Anthol. Vol. II. P. II. p. 33.

Ecl. V, 17. „Saliunca genus herbae florem minutum gerens suavissimi odoris.“ Nihil tale apud Servium. Sed probe recteque Iunilius. Odoratam inprimis esse saliuncam scribit Plinius N. H. XXI, 7. p. 695. Gronov.: „Tantae, ait ille, suavitatis, ut metallum esse coeperit,“ i. e. ut recte interpretatur Dalec.: „in vectigali et reditu publico censeri non aliter, quam metalli fodina“. Addit Plinius: „Vestibus interponi eam gratissimum.“ Quod autem Iunilius dixit minutum esse eius florem, idem comprobare videtur Plinius, herbam scribens verius dici, quam florem.

Ecl. V, 20. Novum est et a veteri memoria abhorrens, quod Daphnis rex pastorum vocatur, quem duntaxat pulcherrimum fuisse novimus pastorum et in suo genere prae-

Digitized by Google

stantissimum. Scilicet parum proprie Iunilium putabimus locutum, nec regem, sed principem pastorum appellandum fuisse Daphnidem. Ea res nos admonet Donati, qui in Vita Vergilii cap. 21. ita scriptum reliquit: „Alii Mercurio, Daphnidis patri, pastorum omnium principi, et apud Theocritum et apud hunc ipsum poetam“ (*Vergilium*) sc. sacrum esse volunt carmen bucolicum. Et recte quidem Mercurius rex et princeps pastorum dici potest, quemadmodum ἀρχὸς φηλητέων Hymn. in Merc. vs. 292., φηλητῶν ἄναξ apud Eurip. Rhes. 217.; et est οἰοπόλος Mercurius, Hymn. laud 314., omninoque praesidet rei pecuariae, ibid. 491. sqq., denique rem conficit vs. 570. sq., ubi dicitur

καὶ κυσὶ καὶ μήλοισιν, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών,
πᾶσι δ' ἐπὶ προβάτοισιν ἀνάσσειν κύδιμος Ἑρμῆς.

Sed tamen verba Donati aliquid vitii traxisse pro certo affirmaverim. Nam quae adiecta sunt „*et apud Theocritum et apud hunc ipsum poetam*“ quomodo cum ceteris consentiant, non video. Ergone Theocritus et Vergilius Mercurio sua Bucolica sacra esse voluerunt? quonam signo id in carminibus eorum proditur? Nempe legendum est non *principi*, sed *principis*, qua mutatione, sublato post eam vocem commate, efficitur, ut princeps pastorum a Theocrito Vergilioque dicatur Daphnis, quod plane convenit cum sententia et Graeci et Latini poetae. Iam cum princeps pastorum vulgo Daphnis et habitus et dictus videatur, is, qui scholion Iunilianum corrupit, ex principe regem fecit, idem esse arbitratus.

Ecl. V, 22. Maia, mater Vergilii, maerore ac luctu Flacci filii adulti absumpta perisse ab Iunilio scribitur; novum hoc; verumque esse potest. Donatus cap. 6. nihil, nisi haec: „quos (parentes) iam grandis amisit.“

Ecl. V, 29.„ Daphnis et Armenias curru subiungere tigres instituit.“ Vere Iunilius, modo emendaveris, quae sunt emendanda:

„Tigres] Bestias; non primus, quia alios (scr. *quia ante Bacchus*) tigres domuit, sed inter pastores primus.“

Ecl. VI, 18. Ridet Madvig. Opusc. pr. p. 12. praeter cetera nomina ab Appuleio interposita nomen Homeri, quod bis in libello de Orthographia invenitur, pag. 127. §. 2. et p. 136.

Digitized by Google

§. 33. edit. Mai. Sed licet plurima finxerit Appuleius, illud tamen persuasum habeo, certam eum habuisse Mythographi cuiusdam adhuc ignorati notitiam, qui eo nomine uteretur. En tibi Hygini fab. 183.: „Huic rei auctor est Eumelus Corinthius. Item quos (equos Aurorae) Homerus tradit, Abrax" *cet.* Accedit nova huic nomini auctoritas ex antiquo cod. Servii *G* apud Burm., in quo ad G. I, 18. haec leguntur: „Sunt qui putant olei humorem idcirco Minervae convenire, quia nulli possit misceri, incorruptus et integer, comparabilis virgini deae, quae ex una parente dicatur esse genita, quam sapientiam interpretantur, virtutem inviolabilem, ut Homerus." Ubi poetam Homerum intelligi non posse res ipsa loquitur. Ad simile argumentum pertinent ea, quae sunt apud Appuleium ll. ll.: „Busiris ab Hercule mactatus est auctore Charonte in quarto Apollonii commentario, Pherecyde Homeroque minore". et: „Phylaeus Augei filius, qui, ut ait Homerus minor, in physeterem a Neptuno conversus est, quod numina maris irrideret". Ut igitur dubitari iam non posse videtur, quin fuerit aliquis Homeri nomine praeditus inter Graecos Mythographos, ita hoc iure mirabimur, quod Iunilius novum Grammaticum Latinum eiusdem nominis producit: *„ambo* pro *ambos,* hos ambo. Sic et Homerus." Sed nisi fallor, vetus Grammaticus, qui uberius de ea re exposuerat, Latinum vocabulum comparaverat cum Graeco ἄμφω versumque, in quo id legeretur, Homeri adscripserat. Nam quod cuipiam in mentem venire possit, corrigendum esse Honoratus (i. e. Servius), cum nulla usquam in his scholiis fiat mentio Servii, probari non potest.

Ecl. VI, 48.: „Proetides Proeti regis Argivorum filiae, „Destinobio uxore eius, Chrysippe vel Hissippe, Iphinoe „vel Epinoe, Iphianasia" *cet.*

Recte emendavit Muellerus *de Sthenoboea,* ut est apud Servium; nam etsi Σθενέβοια est apud Apollodorum II, 22., nec satis recte Σθενόβοια scribi videtur, hac tamen ipsa forma Latinos scriptores vulgo usos esse probat Muncker. ad Hygin. fab. 57. not. 4. Praeterea scribendum *Lysippe, Hipponoe,* ut est apud Servium, et Iphianassa; nam quid statuendum sit de illo *vel Hissippe, vel Epinoe,* dicetur, cum de cod. G exponemus; *Iphinoe* tamen exstat etiam in quibusdam libris mss. Apollodori. Tertiam filiam Servius Cyrianassam appellat, nomen, quod sciam, praeterea ignotum; sed ut aliis ex rebus, ita ex eo ipso nomine intelligitur, non ex iisdem fontibus petita esse, quae Servius et Iunilius tradiderunt.

Ecl. VIII. „Haec Ecloga in honorem Asinii Pollionis vel

Digitized by Google

„filii eius Salonii scripta est, alii aiunt et allegorice „Caesaris. In hac Ecloga personae duae veterum pa„storum historialiter intimandae sunt. Hoc genus car„minis cenon vel micton dicitur. Haec Ecloga Phar„maceis appellatur, nam duae personae introducuntur „Damonis et Alphesiboei, qui repudiatorum amores „narrant. Damon amissam quaerit uxorem, Alphesi„boeus eius mulieris refert actus, quae viro alii dedita „fuerat. Damon queritur, Alphesiboeus remedia agit. „Ille iustum amorem contemptum et sordidum appe„titum canit, hic veneficia excurrit amoris alterius, „quibus iustum amorem nititur disrumpere. Damon „puellam, Alphesiboeus puerum amat. Haec Ecloga „proprie bucolicon. Haec Ecloga sive in Hispania „sive in Gallia canitur," *cet.*

Ut ipsa scholia Philargyriana illa, quae primus edidit Fulv. Ursinus, aucta videntur additamentis quibusdam alienis, (ut Ecl. III, 106.) sic hoc Bernense scholion dixeris farraginem esse variorum scholiorum; atque ex pluribus mixtum et conglutinatum esse ostendere vel crebro repetitum pronomen *Hic* et quinquies positum nomen eclogae: *Haec Ecloga* — In *hac ecloga* — *Hoc* genus carminis — *Haec ecloga* — *Haec ecloga* — *Haec ecloga*. Sed qui ea meminerit, quae supra P. I. p. 24. scripsimus de extrema Praefatione Georgicis ab Iunilio praemissa, potius ita statuet, esse haec ex uberiore expositione ipsius Iunilii collecta; nec adversabor ei, qui nihil hic nisi insignem quandam negligentiam librarii deprehendere sibi visus fuerit bene iunctam orationem male distrahentis; nam idem argumentum in cod. Bernensi B apud Mueller. p. 7. n. 5. ita comparatum est:

„In hac ecloga personae duae veterum pastorum historialiter intimandae sunt. Et hoc genus carminis κοινὸν (ita Muell., in codice est κενόν) et μικτὸν dicitur; (vid. Serv. Prooem. ad Ecl. III.) appellatur autem haec ecloga pharmaceutria, in qua, ut diximus, duae personae introducuntur Damonis et Alphesiboei, qui repudiatorum amores narrant. Damon quaerit uxorem amissam, Alphesiboeus remedia agit; ille iustum amorem contemptum et sordidum appetitum, hic veneficia excurrit alterius amoris, quibus iustum amorem nititur disrumpere."

Sed acu rem tetigisse eum crediderim, qui, cum vel haec inter se contenderit vel Leidensia scholia cum Bernensibus contulerit, esse ea in scholis ex ore magistri a discipulis

Digitized by Google

excepta ab alioque diligentius, ab alio negligentius in oram codicis coniecta dixerit. — Obscurum est autem, quid sit *historialiter intimare?* quo genere dicendi etsi praeter hunc scholiastam nemo usus videtur, tamen coniectura assequi fortasse possumus, quae sit sententia horum verborum. In argumento enim Ecl. IX. idem Iunilius ita scribit: „In hac ecloga duorum pastorum in via fortuitu convenientium et fugientium milites et alloquium atque consilium habentium historialiter intimandae sunt," ubi apparet post *habentium* interponendum esse, quod male omissum est, vocabulum *personae.* Cum autem Ecl. IX. ad rem vere gestam referatur, vix licet dubitare, quin verba *historialiter intimare* ita accepta sint a scholiasta, ut nominibus fictis certos quosdam homines significari diceret. Itaque putabimus Damonem quoque atque Alphesiboeum ex opinione scholiastae personas quasdam hominum notorum sustinere; eoque spectat cum illud *allegorice,* quod et in ipso principio argumenti positum est, et vs. 91.: „*Exuvias,* allegorice pars agri, quae secum remansit;" tum etiam apertius ea, quae ad vs. 109. leguntur: „*Parcite:* Pastor de puero suo, vel Medea de fratre (?), vel poeta de collega (?), vel de Caesare hoc dicit." — Ut verbo hoc attingam: *pharmaceis* non est, quod fecit Muellerus, in *pharmaceutria* mutandum, sed in *φαρμακίς* vel *φαρμακία.*

> Ecl. VIII, 6. „Asinium Pollionem petit Salonitarum victo-
> „rem, qui proprie (?) non minus poeticae, quam ora-
> „toriae vel imperatoriae laudis avidus fuit; nam et
> „multa carmina et varia poemata scripsit. — — Octa-
> „vius Musa civis Mantuanus idemque magistratus cum
> „tributum ab Augusto fuisset indictum, pecora Vari
> „capta pignori tamdiu in foro clausa tenuit, (nam Varus
> „possessor Mantuanus erat) donec inedia morerentur,
> „unde molestiam Mantuanis super amittendis agris in-
> „tulit Varus, Virgilio tamen pepercit, quoniam con-
> „discipulus eius fuerat. Eiusdem autem Vari est tra-
> „goedia Thyestes omnibus tragicis praeferenda; aliud
> „nihil eius legitur."

Memorabile est, quod Asinium Pollionem et multa carmina et varia poemata scripsisse refert scholiastes; et carmina quidem intelliges minora poemata ad lyricum genus pertinentia, v. Schmid. ad Horat. Ep. II, 2, 59., talia puta, qualia Plin. Ep. IV, 14, 9. epigrammata sive idyllia sive ecloga sive poematia appellat; quo in genere elaborasse Pollionem idem testatur Plinius V, 3, 5.; contra poemata dici

Digitized by Google

putabis maiora quaedam, qualis est tragoedia. Cum autem ex iis, quae adhuc nota sunt, testimoniis nihil efficiatur, nisi hoc, ut Pollionem et epigrammata et tragoedias scripsisse cognoscamus, (vid. Weichert. de L. Varii et Cassii Parm. vita et carmm. p. 149. sqq.) ex hoc scholio Bernensi, nisi fallor, discimus eundem etiam alia quaedam maioris argumenti carmina composuisse. Quae de Vario, Thyestae tragoediae auctore, in eodem scholio produntur, ad verbum eadem sunt, quae dudum leguntur in Philargyrianis commentariis, nisi quod in his recte Vario tribuitur ea tragoedia, in illis Varo; vid. Weichert. l. l. p. 62. Sed illud novum in scholio Bernensi, quod adiicitur *„aliud nihil eius legitur;“* quae verba indicant eius hominis aetate, qui illa scripsit, non solum superstitem fuisse Thyesten Varii, sed etiam legi esse solitum; quae res ipsius Philargyri aetati satis convenire videtur, non posterioribus temporibus ad barbariem magis magisque inclinantibus. Praeterea quae de Varo Octavioque Musa traduntur, nova ac diversa sunt ab iis, quae Servius scribit ad vs. 7.: „Usque ad eum locum perticam limitarem Octavius Musa porrexerat, limitator ab Augusto datus - - offensus a Mantuanis, quod pecora eius in agro publico aliquando clausissent.“ Obscuriora sunt haec extrema *„quod pecora ... clausissent;“* plana contra omnia in scholio Bernensi. Ceterum quod Varum condiscipulum Vergilii dicit scholiastes, id ei convenit cum Servio ad Ecl. VI, 13; non enim Varium ibi a Servio potuisse significari, docet ipsius carminis Vergiliani ratio, cf. vs. 7. 10.; quamobrem apud Donat. Vit. Vergil. c. XIX., fortasse etiam apud Phocam vs. 65. Varii nomen in Vari mutandum erit, id quod etiam Weichertus praecipit l. l. p. 26. sqq.

Ecl. VIII. 56. Servius h. l. explicatius dicit de Arione, contractius Iunilius. Sed quid illud, quod scholio Iunilii additum est: „Sic et Fineus?“ Hyginum, cuius nomen multis locis vario modo corruptum legitur apud hoc genus scriptorum, significari puta; is enim de Arione exposuit Fab. 194. et Poet. Astron. II, 17. Usus est Iunilius etiam Perfecto *allicui*, quod praeter Pisonem apud Prisc. X, 1. p. 474. Kr. unus habet Hyginus Poet. Astr. II, 7. Atque ut Iunilium, sic etiam Servium Hygini auctoritatem secutum esse illud probat, quod pro Periandri nomine habet Pyranthi, quemadmodum apud Hyginum l. l. exstat. Sed pro eo, quod est apud Servium *citharoedi habitu*, ita est apud Iunilium: „eodem habitu, quo in scenam introire adsuesset;“ certe parum proprie; tangit enim scholiastes rem Arionis tempore

Digitized by Google

nondum cognitam; nisi quis suspicetur fuisse qui leviter inspecto Herodoto I, 24.: „παραιτήσασθαι τὸν Ἅρπονα, περιιδεῖν αὐτὸν ἐν τῇ σκευῇ πάσῃ στάντα ἐν τοῖσι ἰδωλίοισι ἀεῖσαι," pro σκευῇ et legeret et interpretaretur σκηνῇ, cui suspicioni (quamquam nihil admodum ei tribuo) firmamento esse possit lectio e cod. *c* allata σανῇ. Ceterum in piratas incidisse Arionem scribit Iunilius.

Ecl. VIII, 75.: „Par numerus adversis convenit, ut (Aen. II, 242.) *quater ipso in limine portae Substitit adque* (sic codex, vid. orthograph. Vergil. p. 427. sq. 430.) *utero sonitum quater arma dedere*, quod excidio civitatis convenit, et alibi (Aen. V, 639.): *en quattuor aras Neptuno*, quod arsuris navibus convenit;" ubi notabis lectionem *aras*, ex nullo libro ms. ipsius poetae allatam.

Ecl. IX, 24. „Monet, ne quid contra Alphenum Varum, „divisorem agrorum, faciat, ne asperiorem reddat, quia „necdum per huius Vari seu Tuccae intercessionem „liberatus est, cum per cardinarias fugeret."

Extrema pars huius scholii mutilata videtur. Memorabile hoc, quod Tucca commemoratur in hoc negotio. Ceterum pro *cardinarias* legendum esse *carbonarias* docet Serv. ad vs. 1.

Ecl. X, 66. „*Sithonias*] Pro Scitho, barbaricas, Thracius. Sithon mons Thraciae, vel Sithonias i. e. Scithias a Scithone, Phyllidis fratre." Videtur hoc scholion ita legendum:

„*Sithonias*] Probus: *Sithonias*, barbaricas, Thracias; Sithon mons Thraciae. Vel *Scythonias* i. e. Scythias a Scythone, Phyllidis patre."

Si recte conieci in illo *Pro* latere Probi nomen, duorum Grammaticorum scholia hic legi putabimus, alterum antiquioris, quod finitur verbo *Thracias*, alterum recentioris, qui vitiosam lectionem *Scithonias* vel *Scythonias* interpretatus est. *Sithon* autem nescio quomodo factum est, ut soleret corrumpi in *Scithon* et *Scython*, cf. Ovid. Met. IV, 280., plane ut *saevus* in *scaevus* multis locis, vid. Burm. ad Aen. I, 295.

Paucis attingam scholia Bernensia Iunilii in Georgica. I, 125.: „*Ante Iovem* cet.] Dicunt Iovem commutasse omnia, cum bonus et malus (adde: ante) non discernerentur, terra omnia liberius ferente, quod Calvus canit." Calvusne igitur? potius ipse Vergilius vs. 127. sq.; an haec ipsa a Calvo sumpsit Vergilius? Et esse quaedam huic poetae cum Calvo communia affirmat aliquoties Servius, v. Ecl. VIII, 4. Aen. II, 632. IV, 58.

Digitized by Google

G. I, 134. Obscura sunt et in breve contracta verba Servii:

„*Paulatim* epitheton artium est;“

quae lucem accipiunt ab Iunilio vel potius a Philargyro, cuius elegantiam facile in his verbis agnoscas:

„Bene *paulatim*, quia ars gradibus quibusdam excogitatur.“

G. I, 149. Inprimis memorabile scholion:

„*Dodona*] Quercum significat, quae conmater illa Dodonaei Iovis.“

Videri haec possunt ab homine mediae, quae dicitur, aetatis corrupta, qui sciret commatrem suo tempore vocari eam, quae matris alicuius vel filium vel filiam ex baptismo sustulisset, unde *les filleulles* apud Francogallos. Sed mittamus eiusmodi ineptias. Probabile est in syllabis *quae con* latere nomen *quercus*, quod etiam *quaercus* scribebatur; vid. Orthograph. Vergil. p. 466. Novam igitur Iovi (Dodonaeo scilicet) matrem conciliabit Iunilius s. Philargyrus, quercum! Ac plane sic scholion Leidense apud Suringar.: „quae est mater illa Dodonaei Iovis“. Ne vero fortuito hanc consensionem Bernense inter et Leidense scholion natam existimes, en tibi novum testem codicem Burmanni G ad Ge. II, 67.:

„*Chaonii patris*] Epirotici, qui quercum matrem dilexit.“

G. I, 163. „Eleusinae] Eleusinam (adde: dicit) ab Eleusine, urbe Atticae, in qua ares (*Ceres*, ait Müller.) adorabatur. Matris] matrem autem Eleusinam dicit; nam ut veteres patres deos dicebant, ita et deas matres; deam matrem vestram Cereremque.“

Corrupta sunt extrema; pro *vestram* Vestam restituendum videtur Muellero. At quis ita locutus est: dea mater Vesta, dea mater Ceres? Scripsit Iunilius *deum* i. e. deorum. Verum id esse persuadent Serviana, unde simul apparet, quam mutilata ac depravata sint Iuniliana; sic enim Servius: „plaustra Matris Eleusinae] i. e. qualia ostendit Ceres apud Eleusina, aut certe qualibus Mater Deum colitur; nam ipsa est etiam Ceres.“ Ceterum si verum est, quod restituit Muellerus, nomen Vestae, novum hoc esse opinor, quod Vesta mater deum appellatur, sed ita tamen comparatum, ut aliquo modo probari possit.

Ge. I, 265. „*Amerina*] Urbs Italiae in Vestinis.“ Itane vero? In scholio Leid. est: in Verrinis. Nempe ipse Iunilius hunc fere in modum scripsisse putandus est: „Urbs Italiae saepe a Cicerone commemorata in oratione pro Roscio Ame-

Digitized by Google

rino.“ Ex hoc *Amerino*, cum cetera intercidissent, factum est illud *in Verrinis*, inde in *Vestinis*. Ac ne nimis audacter planeque temere id me coniectare putes, communicabo tecum ea, quae scripsit Servius; is enim: „Amerinum, inquit, oppidum Italiae, cuius crebram in Rosciana facit Cicero mentionem.“ Foedius etiam in simili causa peccatum proximo versu in cod. G apud Burmannum: „Rubea] Rubi oppidum in Apulia vel in Thessalia, quae hoc genere viminis abundat.“ Nempe cum perplexis litterarum ductibus scriptum esset *Apulia*, indoctus librarius nesciebat, *Apulia* an *Thessalia* legeret; utrumque igitur ad eligendum proposuit; quod idem factum est in eodem codice, Ge. I, 437.: „Glaucus Poliphei vel Polimbae et Terrae filius;“ similia quaedam proponentur, ubi dicetur de ipso codice G ad Ge. II, 536.

G. I, 268. sqq.:

Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas et iura sinunt; rivos deducere nulla
Religio vetuit.

„*Religio*] Divina humanaque, nam ad religionem pertinent, fas ad homines, iura ad deos, qua fas divinum, ius humanum.“ Puta haec ex duobus scholiis conflata: „*Fas et iura*] Divina humanaque; nam ad deos pertinet fas, ad homines iura.“ *Fas et iura*] quia fas divinum, ius humanum.“

G. I, 302. „Geniales homines ab antiquis nominati sunt, quod ad invitandum et largius parandum cibum, et quae consequuntur, promtiores essent.“ Doctum scholion, ex Santrae l. III. de Antiquitate translatum; vid. Non. p. 117. Merc. sub v. *Genialis*.

G. I, 437. Pugnantia hoc loco narrat Iunilius de Glauco, quae recte in cod. G, de quo mox dicetur, interposita particula *Item* distinguuntur. Ceterum vide monstra nominum: in scholio Bernensi mater Glauci, quae erat Euboea, appellatur Scriboe, in cod. G magis etiam depravate Terra.

Iam si discesseris ab iis vitiis, quibus indocta manus librariorum haec scholia inquinavit, nihil est in iis, quod non potuerit scribi ab antiquo Grammatico. Cum autem hunc Iunilium eundem esse statuamus, quem Iunium Philargyrum, restat, ut videamus, num quid in his ipsis Iunilianis reperiatur, quod huic opinioni adversetur; nam si in eadem re alia Iunilium, alia Philargyrum tradere deprehenderimus, non licebit eundem esse utrumque credere. Et ceteris quidem locis cum nihil eiusmodi offenderim, tamen

Digitized by Google

quae Ecl. V, 28. leguntur apud Iunilium, manifesto discrepant a Philargyro. Ita enim ibi est in scholiis Bernensibus:

„*Interitum*] Mortem Iulii Caesaris. *Interitum*] non optime morte iam merita (lege: *mors etiam immerita*) interitus dicitur. *Iunilius* dicit."

Varia est opinio Grammaticorum veterum, qui Vergilium illustrarunt, quis Daphnidis nomine in hac Ecloga significetur. Praeter alios, qui sub eius persona latere credebantur, commemoratur a Servio ad vs. 20. etiam Iulius Caesar, non item a Philargyro, cuius exstat scholion ad eundem versum; is aut Saloninum aut Flaccum fratrem poetae intelligi refert. At idem ad eundem versum 20. tradit etiam Iunilius, sed ita, ut addat aliorum sententiam, qui Caesarem intellexerint, a sua discrepantem; nam alios potius ita sentire, quam ipsum, prodit ipsius oratio. Quae autem ad vs. 28. scripta sunt, ea apparet diversorum esse auctorum, non unius Iunilii. Nam qui paulo ante ad vs. 20. ita locutus sit, ut eorum opinionem, qui Caesarem significari statuant, si non reiiciat, tamen ut minus probabilem proponat, quomodo idem paulo post et solum Caesarem nominare et ita nominare potuit, quasi nulla sit de ea re controversia? Ipsa scholii supra propositi forma indicat non esse haec ab uno scripta; quorsum enim, si ea essent unius Iunilii, ita duplici lemmate (*Interitum — Interitum*) dirempta censeas? Quod si illud urgeas, quod apud Philargyrum tamen Caesaris mentio fiat nulla, vide, ne nihil egeris. Quod Iunilianis scholiis accidit, ut multis locis contracta sint et decurtata, quae causa est, cur Philargyrianis negamus accidisse? Sed operae pretium fuerit ipsa, quae Philargyrus et Iunilius ad vs. 20. commentati sunt, in medium proferre atque inter se comparare.

Scholion Philargyri ad vs. 20.

„Alii luctum Salonini, nonnulli Flacci fratris eius putant. Daphnis, Mercurii filius, pastor eximiae formae fuisse dicitur. Hic dilectus a Nympha Lyca fidem dedit nullius se mulieris alterius concubitu usurum; sed fefellit; ob quod orbatus est luminibus; quod licet carminibus et fistula solaretur, non tamen diu vixit."

Iunilii ad eundem vs.:

„Daphnis eximiae formae rex pastorum et non diu vixit. Alii allegorice luctum Salonini relatum dicunt, sed magis epitaphium fratris intelligimus, et Vergilius specie Daphnidis fratrem suum, Flaccum nomine, deflet; quamvis alii de Iulio Caesare dicunt."

Digitized by Google

Sunt in his tria satis expressa vestigia unius scriptoris, quae apparent in verbis *eximiae formae — non diu vixit — luctum Salonini.* Retentis fere iis, quae apud Philargyrum de Daphnide exponentem prima sunt et extrema, omisit media Iunilius, vel potius is, qui Philargyriana contraxit, non quasi supervacanea sint, sed quia ita libuit. Copiosior est contra Iunilius in exponenda allegoria; sed ea ipsa non videntur ab uno scripta esse; nam de fratre poetae cum bis eadem referantur, videntur haec e duobus scholiis conflata, quorum alterum ad prius illustrandum adiectum sit. Denique cum ipsum carmen Vergilii prope clamet Daphnidis nomine significari C. Iulium Caesarem, cumque antiquitus fuisse qui ita statuerent plus uno loco tradat Servius et consentiens cum eo h. l. Iunilius, non est credibile, Philargyrum id reticuisse; itaque ipsum hoc loco decurtatum putabimus.

Sed beneficio Scholiorum Leidensium ac Bernensium illud quoque cognoscitur, accedere ad supplendos augendosque Philargyri Commentarios etiam tertium fontem, codicem Servii a Burmanno littera G notatum, qui ubi asservetur P. Burmannus Secundus, qui mortuo patruo editionem Vergilii ab illo profligatam absolvit ac Praefatione eruditionis plena ornavit, divinare se posse negat pag. ******* aversa; putat tamen Excerpta quaedam Lindenbrogiana, quae Hamburgo transmissa habuerit patruus, hac nota significari. At non erat, quare Batavos lectores Hamburgum ablegaret; in patria ipsius habitat is liber, quod disci potest ex Heinsii not. ad Claudian. Epithal. Honorii vs. 95. et ex Munckeri not. ad Hyginum cap. II. not. 1. cap. 147. not. 10. cap. 199. not. 2. inprimisque ex cap. 129. not. 4., ubi eadem ex Glossis Mss. Biblioth. Leidensis afferuntur, quae leguntur in cod. G; vid. etiam Suringar. p. 259. sqq. Amplectitur is codex librum I. et II. Georgicon. Qui cum multa habeat, quae Iunilio vel apud Suringarum vel apud Müllerum vel apud utrumque tribuuntur, necesse est, si Iunilium, ut debemus, non diversum esse a Philargyro existimabimus, Philargyrianorum Commentariorum partem in eo latere. Quo magis est quod aegre feramus infinitas corruptelas, quibus deformata sunt scholia huius codicis; qui si esset integrior, dudum intellectum esse crediderim multa ab eo servari ex vetustioribus interpretibus Vergilii sumpta.

Exhibet igitur hic codex Commentarios Servianos, ita quidem ut multa addita habeat, quae non sunt apud Servium;

Digitized by Google

sed ea additamenta non esse pro Servianis scholiis habenda ex eo discitur, quod ea ipsa res interdum tractant etiam a Servio illustratas, sed oratione a Serviana discrepante; quid, quod eadem eidem repugnant? sic enim Servius ad I, 271.: „*Insidias avibus moliri*] i. e. aucupia facere.“ Contra cod. G: „Non de aucupatione loquitur, sed aves iubet a satis prohiberi, referens ad illud *nihil improbus anser* I, 119.“ Quaedam ex his scholiis Philargyro deberi cum scholion Philargyrianum probat ad Ge. II, 168. etiam in cod. G propositum, quo accedit similitudo quaedam scholiorum ad Ge. 97., tum maximus creberrimusque consensus, qui inter hunc codicem et scholia Leidensia ac Bernensia Iunilio nominatim tributa intercedit. Est tamen etiam, ubi aliter loquatur scholiastes codicis G, aliter Iunilius, ut I, 59.; ita enim cod. G:

„Castores dicuntur silvestres canes, quos Latine fibros „dicunt. Virus, quod in testiculis habent, aptum me„dicis, castorium appellatur; hoc adeunt (*aiunt* Burm.), „cum sciant quam ob causam (adde *requirantur*), ultro „eos sibi demere; quod ait et Cicero pro Scauro“ *cet.*

Eadem de re Iunilius:

„Castores dicuntur, id est canes silvestres, qui in „Ponto tantum nascuntur, quos Latini fibros dicunt, „quorum testiculi pretiosa (*pretiosi* Müll.) ad medica„menta; et virus, quod habent, castoreum dicitur, ut „phisologi libro dicit;“ *physiologi* et *dicitur* Müll.; mihi videtur Iunilius scripsisse: *ut Cicero pro Scauro dicit.*

Item I, 218. cod. G:

„*Averso astro* quidam male accipiunt secundum illud „*aut Sirius ardor Ille sitim morbosque ferens.* Sed „magis intelligere nos convenit *averso astro* taurum „dici, cum canis occidit. Denique Nigidius ait taurum „aversum vel sidera locatum, vel adversum astris. „Sirius dicitur, qui est terris adversus.“

Iunilius:

„*Adverso astro* quidam male accipiunt Sirium ardorem „illum sitim morbosque ferentem mortalibus aegris. „Alii adverso astro (*non* addit Müll.) ad ipsum canem „referunt, sed ad solem, qui adversus intelligitur ex „eo, quod contra mundum nititur; sed magis nos in„telligere convenit adverso astro taurum dici, cum quo „canis occidit, quia Nigidius ait, taurum adversum inter „sidera locatum, quod posteriores eius partes, qui

Digitized by Google

„(*quia* Müll.) primi veris sunt, umidiores habentur, „priores autem ideo, quia aestate exsistunt, sicciores.“

Nec plane inter se conveniunt, quae de Pane leguntur apud Philargyrum ad Ecl. II, 32. et in cod. G ad Ge. I, 16.; ille quidem l. l. ita:

